This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UC-NRLF
$B 98 440

P A
6606
S36
1878
MAIN

YE 00145

Digitized by Google

GIFT OF
JANE K. SATHER



EX LIBRIS

N68/8
S362

Digitized by Google

UNIV. OF
CALIFORNIA

Digitized by Google

UNIV. OF
CALIFORNIA

Digitized by Google

1878 VII.
PHIL. VI.
UNIV. OF
CALIFORNIA

Quaestiones Plautinae.

DISSERTATIO,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN ACADEMIA REGIA CHRISTIANA-ALBERTINA KILIENSI IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS SCHNOOR.
Slesvicensis.

KILIAE.
Prostat in aedibus Lipsii et Tischeri.
EX OFFICINA C. F. MOHR. (P. PETERS).
1878.

Digitized by Google

UNIV. OF
CALIFORNIA

Latin SATHER

Imprimatur:
Dr. G. D. E. WEYER.
h. t. decanus.

Digitized by Google

PA6606
S36
1878
MAIN
UNIV. OF
CALIFORNIA

Inter plerosque viros doctos constat *ὑπόταξιν* ut dicitur natam esse ex *παρατάξει*. Haec autem est sententia, qua de quanquam omnibus fere probatur, nullam tamen adhuc, quae paulo accuratius de hac quaestione apud auctores Latinos agat, dissertationem extare suspicor. Delbrueckius autem atque Windischius primi sunt, qui omnino hanc rem tetigerunt et tractarunt in opere illo egregio, quod inscribitur: »Der Gebrauch des Conjunctivs und Optativs im Sanskrit und Griechischen«; tom. I. illorum operis: »Syntaktische Forschungen.«

Illi viri docti quasi signiferi fuerunt huius disciplinae, quae ex linguarum comparatione proficiscebatur. Atque optime rem illustraverunt exemplis ex Homero sumptis, quippe apud quem et *παράταξις* et eius transitus in *ὑπόταξιν* maxime perspicue intellegi possit. Ac si propositum est in hanc grammaticam quaestionem apud Latinos auctores inquirere, quisnam ex omnibus magis in rem est, quam Plautus, Homerus ille Romanorum?

Cum igitur mihi in mentem venerit de mera *παρατάξει* atque de eius in *ὑπόταξιν* transitu nonnulla scribere, quia, omnes particulas de hac quaestione ut examinem, vix fieri potest, mihi in animo est *παράταξιν* ex una particula accurate demonstrare. Nam et ad totam materiam absolvendam tempus viresque deficiant et non ex omnibus partibus quasi excerpta afferre consilium est.

Propterea igitur transitum *παρατάξεως* in *ὑπόταξιν* ex nonnullis particulis summatim explicabo nonnullisque exemplis confirmabo, deinde particulae »quin« usum Plautinum paulo diligentius examinabo atque investigabo.

Sed hoc loco libenter profiteor, hanc dissertationem cum multiplicibus de hac quaestione significationibus in seminario Kiliensi factis, Forchhammero et Luebberto doctissimis directoribus, tum incitationibus Luebberti praeceptoris carissimi in scholis »Lateinische Syntax« effectam esse, atque etiam etiamque profiteor, praeceptores illos illustrissimos mihi fuisse in hac quaestione investiganda fidissimos signiferos.

Digitized by Google

829023

Omnes autem enuntiationes subordinativas ex *παρατάξει* natas esse linguarum comparatores praecipue particulis consideratis intellexerunt. Quam ob causam ego quoque ad hanc rem demonstrandam elegi particulam, eamque ex usu Plautino. Nam aetate Plauti illud ingenii acumen Romani quod maxime in Cicerone miramur, nondum erat natum; lingua aetate Plauti erat in incunabulis, ex quibus paulatim ad summam florem provecta est. In Plautinis autem fabulis saepissime enuntiationes vel structurae inveniuntur, quarum membra etiamtum prorsus *παρατακτικῶς* inter se coniuncta sunt quaeque paene dissoluta nullo fere nexu inter se cohaerent. Atque priusquam ad particulas ipsas aggredior paucis exponere iuvat meram *παράταξιν*.

Inveniuntur igitur enuntiata interrogativa, in quibus interrogatio obliqua, quae exspectatur, non ex sententia primaria pendet, sed potius per se atque ab illa seiuncta ponitur; quo fit, ut interrogatio multo magis valeat; vide Most. 635[1]): responde mihi: quid eost argento factum?

Amph. 421: signi dic quid est?

Most. 457: circumspicedum: numquis est?

Pseud. 18: fac me certum, quid tibist?

387: cedo mihi quid eo facturu's?

866: qui possum doce.

In omnibus his exemplis imperativus tam dissolute cum interrogativa enuntiatione colligatur, ut omnino sine detrimento deesse possit.

Deinde saepissime *παράταξις* reperitur post verba: spero, opinor, obsecro, credo, nescio, scio, faxo aliaque.

Conferas quaeso Mil. glor. 1156:

certo scio,

Oppidum quodvis videtur posse expugnari.

Conferendum est nostrum: Ich weiss, er wird kommen pro dass er etc.

Bacch. 254. certo scio

. . . . . di quattuor

Scelestiorem nullum inluxere alterum.

Most. 1081. scio, iocaris tu.

---

[1]) In enumerandis versibus secutus sum Ritschelii editionem in Trinummo, Milite, Bacchidibus, Sticho, Pseudulo, Menaechmis, Mostellaria, Mercatore, Persa; Fleckeiseni in Captivis, Curculione, Amphitruone, Asinaria, Rudente; Gepperti in Epidico, Poenulo, Casina; Wagneri in Aulularia; Spengeli in Truculento; in Cistellaria denique Weisium secutus sum.

Digitized by Google

Rud. 513. piscibus in alto credo praehibent pabulum.

Amph. 297. credo misericors est.

Most. 1080. credo haut negat.

Amph. 424. nescio unde haec hic spectavit.

Asin 917. exorari spero poterit.

Rud. 365. scibis faxo.[2]). 135. iam ego faxo exibit.

578. exarescent faxo.

Pseud. 47. ex tabellis iam faxo scies.

Mil. 463. iam faxo hic erit. etc. etc.

Omnia haec exempla παρατακτικῶς se habent atque utrumque membrum per se intellegitur suique iuris est. Sed saepe fit, ut illa verba: faxo, credo, spero etc., includantur in orationem directam, cui quasi subiecta sunt. Lorenzius autem de eis verbis ad Most. vers. 1080 recte haec adnotat: »Sie stehen als Einschiebsel, nicht als regierende Verba, wodurch die Rede gewöhnlich eine lebhaftere Färbung erhält.«

Tertium autem genus merae παρατάξεως invenitur, ubi sane coniunctivus extat, sed non pendet ex enuntiatione primaria. Is autem coniunctivus habendus est pro potentiali.

v. Capt. 961. Quod ego fatear, credin pudeat quom autumes?

Pseud. 949: tum faxo magis id dicas.

Eiusmodi enim coniunctivos per se iuste et recte se habere neque esse pendentes maxime eo apparet, quod forma faxim semper postulat alterius verbi coniunctivum; atque uterque coniunctivus sine dubio idem valet; et si forma faxim potentialis est putandus, alterum coniunctivum et ipsum potentialem esse verisimile est; vide Trin. 221:

pauci sint faxim.

Amph. 511: Ego faxim ted Amphitruonem malis esse quam Jovem.

cf. praeterea Trin. 60.

faxo hau tantillum dederis verborum mihi.

62. hercle faxo hau nescias; quos coniunctivos Brixius in edit. Trin. ad hunc versum sic vertit:

δοίης ἄν — — οὐκ ἄν ἀγνοοίης.

---

[2]) De forma faxo vide Luebbertum, »Der Coniunctivus Perfecti und das Futurum exactum im älteren Latein« Bresl. 1867. — Pott., Etymol. Forschungen I. 94. — — Futurum exactum faxo apud comicos fere semper significationem habet futuri I. cf. Holtze, synt. II. 86. Perbene Madvigius (Opusc. Acad. II. pag. 82 sq.) de significatione futuri exacti pro futuro simplici positi disserit.

Digitized by Google

Rud. 511. velim vomas.

Praeterea exempla inveniuntur, in quibus coniunctivus optativi partes agit.[3]) Quanquam in his quoque enuntiationibus utrumque membrum sui iuris est, tamen eis pons effectus est, per quem παράταξις in ὑπόταξιν transiit:

Pseud. 278: in pauca . . . . . confer quid velis.

Merc. 389: dic quid velis:

Curc. 457: Dicas quid velis.

Quae sunt potissima merae παρατάξεως genera, quae apud Plautum inveniuntur.

Praeterea autem omnia enuntiata pendentia, quae incipiunt a particula, ex παρατάξει nata sunt, cum per se illa iuste et recte se habere facile demonstrari possit. Quam quaestionem breviter ex particulis nisi, ne, ut, deinde paulo accuratius ex particula quin exponam exemplisque confirmabo.

Ac primum quidem paucis disseram de particula nisi.

Repetenda autem est haec particula a prisca negatione ni atque a coniunctione conditionali si, ita ut »per nisi negetur id quod conditionis nomine intercedit.«[4])

Atque Handius affert hoc exemplum:

»Actum de te est nisi provides,«

quod sic explicat: actum de te est: non est, si provides.

Ergo in enuntiatione primaria aliquid, quod vitandum est, extat atque nisi-enuntiatio affert unicum exoptatumque adiumentum ad ea quae in praegressis dicuntur tollenda. Quare fit ut sententia primaria plerumque sit negativa vel negativum habeat sensum. Brixius autem eiusmodi structuras elliptice se habere putat[5]) atque velut Trin. 233: »De hac re mihi satis hau liquet: nisi hoc sic faciam« sic dissolvit: hierüber bin ich mir nicht klar, wenn ich nicht etwa dadurch klar werde, dass ich's so mache.«

Sed multo simplicius tales structurae ex παρατάξει natae hunc in modum explicantur; velut ubi Cicero dicit de senect. § 21:

memoria minuitur, nisi eam exerceas,

cuius exempli in enuntiatione primaria inest negatio indirecta, sic equidem explicem:

Das Gedächtniss nimmt ab. Nein! mögest du es nur üben.

Ergo negatio ni in particula nisi nihil aliud est quam nostrum: Nein! atque sententia conditionalis habenda est pro optativa. Exemplum igitur a Brixio ex

---

[3]) Cf. optimam huius idiomatis expositionem Lorenzii ad Pseud. v. 265.

[4]) Hand. Tursellinus seu de particulis latinis commentarii, IV p. 215 sq.

[5]) Ad locum illum ex Trinummo sumptum.

Digitized by Google

Trinummo supra allatum eundem in modum sic est explicandum: De hac re mihi satis hau liquet: nisi hoc sic faciam: Hierüber bin ich mir nicht klar; nein! möchte ich es doch so anfangen.

Nunc devenimus ad usum illustrandum, e quo enuntiationes a particula ne incipientes παρατακτικῶς se habent.

Haec autem particula ne praebet significationem: „Dass nur ja nicht;" semper enim ne quid fiat, optat: Möge dies nicht geschehen.

cf. Men. 250. molestus ne sis.
Mil. 1363. ne me deseras.
Men. 415. ne feceris.

Abunde etiam interdum coniungitur cum particula utinam, quae est optantis; vide Ter. Phorm. I. 3, 5.

Utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset.

Praeterea particula ne apud Plautum usurpatur coniuncta cum imperativo, cuius generis, quia nimis notum sit, plura exempla afferre non oportere duxi. En exempla:

Merc. 614: quaeso hercle, animum ne desponde.
Pers. 490: abi, ne iura. satis credo.
677: ne doce.

Notandum est, hoc idioma in sermone familiari Plauti et Terentii saepissime inveniri atque prorsus eodem modo quo ne cum coniunctivo praesentis: »ne credas« usurpari,[6]) contra temporibus poetarum Augusteorum magis in usu esse ne cum praesentis coniunctivo[7]).

Tum autem omnia ne-enuntiata e verbo praegresso apta sine dubio ex παρατάξει proficiscuntur; cf. Most 542:

»metuo, ne de hac re quippiam indaudiverit,«

quod exemplum sic est dissolvendum: metuo — (sed opto:) ne . . . . . quippiam indaudiverit.

De nostrae linguae contraria versione atque cogitatione particularum verba timendi sequentium vide Reisig. Vorls. ed. Haasius § 315; Zumptium, Lat. Gr. § 533.

---

[6]) Zumpt. Latein. Gramm. § 585 Anm.

[7]) Servius ad Verg. Aen. VI, 544 haec dicit: ne saevi antique dictum est. Nam nunc ne saevias dicimus, nec imperativum iungimus adverbio imperantis.

Digitized by Google

Trin. 146: circumspicedum te — (nam opto:)
ne quis adsit arbiter nobis.
Men. 850: fuge domum quantum potest, —
(nam optandum est:) ne hic te obtundat.
Most. 774: obsecro
ne indicium ero facias meo — quod sic explicandum est: Ich beschwöre dich — mögest du doch ja nicht Anzeige davon machen!
Rud. 777: Hunc quoque adserva ipsum, ne quo abitat.
id est: adserva ipsum — (nam est optandum) ne quo abitat.
Pseud. 128: caveant — (nam optandum est:) ne credant mihi.
Mil. 575: Numquid nunc aliud me vis?
ne me noveris.
Wünschest du noch etwas?
Dass du mich nur ja nicht kennen mögest!

Nonnumquam invenitur verbum videndi eodem modo, quo timendi usurpatum; velut Bacch. 744:

set, pater, vide ne tibi hodie verba det.

Id est: Sieh dich vor; -- — möge er dich nur nicht zum Besten haben!

Capt. 584: vide sis ne quid tu huic temere insistas credere.

Porro aggrediamur ad usum particulae u t explicandum. Quae particula derivanda est ab antiquiore forma uti vel utei, qui est antiquus locativus stirpis u—ta. Haec autem particula, cuius utraque forma ut atque uti apud Plautum legitur, a principio sine ulla dubitatione fuit in optatis usurpata, significatione eadem praedita qua utinam particula. Hoc enim testantur multi apud Plautum et Terentium loci.

cf. Poen. 901: valeas beneque ut sit tibi.
Aul. 778: ut illum di immortales omnes deaeque quantumst perduint.
Cas. 196: ut quidem pol pereas cruciatu malo.
296: tu ut liquescas ipse. (Ubi etiam particula utinam antecedit.)
Ter. Eun. II. 3. 11. ut illum di deaeque senium perdant.

Qua re efficitur, ut omnia ut-enuntiata et a verbo praegresso pendentia et per se extantia proficiscantur ab sententiis, quae sunt optantis; ut in pauca conferam: Ab sententiis optativis repetendae sunt omnes sententiae vel consecutivae vel finales. Haud raro autem apud Plautum occurrit enuntiatum, in quo particula ut consilium exprimit ita ut non pendeat a verbo quodam praegresso; cf. Asin. 234: set in legas meas
Dabo, uti scire possis, perpetuom annum hunc mihi uti serviat.

Digitized by Google

Quo in exemplo »uti scire possis« nihil aliud est quam nostrum: O mögest du das wohl festhalten.

Curc. 625: Hem, ut scias me liberum esse.

Merc. 298. immo, ut scias,
Oculis quoque etiam plus iam video quam prius.

Nonnumquam tum particula ut in cohortationibus posita invenitur omisso verbo a quo pendeat;

velut Curc. 195: dictis moderari ut queas.

Stich. 121: ut cotidie
Pridie caveat ne faciat quod pigeat postridie.

Capt. 111: Sed uti adserventur magna diligentia.

Curc. 131. periisse ut te dicas. Rud. 1128: mihi ut reddas.

Fortasse in illis exemplis supplendum est verbum timendi ita ut haec extet structura: (metuo — —) mihi ut reddas. Sed utut res se habet, sine dubio haec ut-enuntiata ex *παρατάξει* explicanda sunt atque significationem habent optantem. Atque eodem modo omnia ut-enuntiata, quae a verbo praegresso pendent, nata sunt ex enuntiatis quae sunt optantis.

Ergo velut Mil. 355: at metuo ut satis sis subdola
sic est dissolvendum: doch ich bin besorgt darüber; — — o möchtest du doch recht schlau sein.

Trin. 40: uxor, venerare, ut nobis haec habitatio
Bona fausta felix fortunataque evenat.
Bete — — o möchte doch etc.

Pseud. 163: facite ut offendam parata
Vorsa sparsa tersa strata lauta structa omnia ut sint.[8])

Bacch. 105: intro eamus ut laves.
Lasst uns hineingehen. O möchtest du etc.

Pers. 190: sed te volo curare — — ut domi sis; sei doch zu Hause.

[8]) Sic Ritschelius. Lorenzius autem (vide ad hunc locum) autore Kiesslingio (symb. philol. Bonn. in hon. Ritsch. coll. p. 836.) legi vult: vorsa sparsa tersa strata lauta structa cuncta uti sint. Quod minus mihi placet. Etenim si Ritschelii lectionem accipimus, compositio quaedam artificiosa ac sine dubio considerata extat, cum terna membra evadant, quae eadem utuntur terminatione: vor**sa** spar**sa** ter**sa** 3 sa + 3 ta stra**ta** lau**ta** struc**ta**. Contra Lorenzium secuti haberemus formationem 3 sa + 4 ta quod minus est artificiosum.

Digitized by Google

Mil. 948: misi parasitum meum
Ut latrones quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret.
id est: Ich sandte ihn hin; — — o möchte er doch etc.
Rud. 274: Nunc tibi amplectimur genua egentes opum
Quae in locis nesciis nescia spe sumus,
Ut tuo recipias tecto.
Wir umfassen deine Kniee . . . ; o nimm uns auf.
Truc. IV. 4. 19: amabo ut hos dies aliquos sinas
Eum esse apud me.
Ich will dich lieben (= ich bitte) — — lass es einige Tage noch bei mir.
Men. 425: Ut scin quid te amabo ut facias?
impera quidvis modo.
Pallam illam quam dudum dederas, ad phrygionem ut deferas.

De verbi amandi in talibus structuris significatione Lindemannus ad Mil. 900. haec recte adnotat: »Precandi formula notissima amabo ita explicanda videtur: amabo te, si dicas, quod quaero, facias quod volo. Inde usu longo factum, ut etiam sic simpliciter ponatur, ut quaeso, precor, oro«.

Men. 328: numquid vis?
ut eas maxumam in malam crucem
Mögest du zum Henker gehen.
Rud. 1215: iam hic fac sit, cena ut curetur.

Pendent ex verbo fac et merus coniunctivus et particula ut, quae duae structurae prorsus eodem modo optatum exprimunt

Nunc denique aggrediamur ad usum particulae quin illustrandum. Ac primum quidem de compositione huius particulae atque significatione grammatici et veteres et recentiores multum disputaverunt. Gernhardius autem putat[9]) quin constare ex nominativo qui et negatione ne, quae sententia omnino ferri non potest.[10]) Alii viri docti duo diversa quin esse docent.[11]) Sunt qui particulam quin arbitrentur ex pronominis relativi ablativo quî[12]) et negatione non[13]) aut ne[14]) ortam esse atque significationem

[9]) Opusc. p. 19,
[10]) Cf. Billrothium, Latein. Syntax. § 327.
[11]) Hartungius, Ueber d. Casus, ihre Bildung und Bedeutung p. 227.
[12]) Quae singularis ablativi forma saepe occurrit in iunctura quîcum. Illud quî ortum est ex etiam antiquiore quîd, quod d constat i—stirpium constans suffixum abjativi fuisse.
[13]) Reisig. Vorls. ed. Haasius § 321.
[14]) Kruegerus, Gramm. d. latein. Sprache § 575.

Digitized by Google

praebere: so dass nicht. Quam sententiam alii ita emendaverunt, ut in particula quin inesse statuant ablativum pronominis et relativi et interrogativi.[15]) Putant enim adverbium quin constare ex pronominis interrogativi ablativo et antiqua negatione ne, illam autem particulam quin, quae cum coniunctivo coniungatur, repetendam esse ab pronominis relativi ablativo et negatione ne. Sed equidem pro certo habeo, particulam quin ortam esse ex forma quî, ablativo pronominis interrogativi atque ex antiqua negatione ne, significatione praeditam hacce: wie nicht? cur non? — Sed cavendum est, ne illud quî in quin extans confundatur cum illo quî in asseverationibus usurpato; cf. Men. 933: Qui te Juppiter dique omnes, percontator, perduint.

Immo quî in particula quin extans illud est, quod non ignoratur ex notissimis structuris: qui fit? qui convenit?[16])

Ad negationem ne quod attinet notandum est, quod Handius docet Turs. IV. p. 29: »Antiquissimis temporibus quum subtiliores distinctiones nondum essent inventae, negationem cuiusvis generis Latini vocabulo ne expresserunt, ut hoc idem esset quod non«. Negatio ne sine dubio est antiquissima, quae litera c addita corroborabatur. Sic orta est particula nec, quae originem ducit ex negatione ne et stirpe pronominis demonstrativi ce. Quanquam concedi potest, nec particulam quam »ne« maiore cum vi negare, tamen nec idem fuit quam ne vel non; simplicis negationis munere functum est. Saepe ita invenitur in legg. XII. tabb., velut: »manifestum — nec manifestum«, »cui heres sit — cui heres nec sit«, conf. »res mancipi — res nec mancipi«. Etiam apud Plautum legitur: nec recte dicere, vide Bacch. 119: Tu dis nec recte dicis.

Sed redeamus ad ne particulam simplicis negationis. Illud ne adhibebatur in componendis pronominibus (nemo: ne — homo), nominibus (nefas), verbis (nequeo), coniunctionibus (sin: sine). Atque huc respicit nostra particula quin, significatione instructa: wie denn nicht? warum nicht?

Hactenus de particulae quin compositione et significatione. In usu autem huius particulae sane quam bene clareque intellegere possumus, quomodo gradatim *παράταξις* transierit in *ὑπόταξιν*. Ratio autem atque ordo hic fere est:

Ac primum quidem quin prorsus partibus fungitur adverbii, cum secundum significationem wie nicht? usurpetur

et cum imperativo: Trin. 582: quin tu i modo.

---

[15]) Reisig. Vorls. ed. Haasius adnot. 492. — Ribbeckius, Beitr. zur Lehre von d. latein. Partikeln p. 14. — Madvigius, Latein. Sprachl. § 375. c adn. 4.

[16]) Zumptius. Gramm. § 133 adn. Totam hanc de quî ablativo quaestionem tractavit optime Oscar Wichmannus, de quî ablativo, dissert. Bresl. 1875.

Digitized by Google

Most. 1089: quin cita illum ad ius.

et cum coniunctivi praesentis prima persona: Capt. 856: quin ita faciam?

Mil. 426: quin ego hoc rogem, quod nesciam?

et in interrogationibus adhortantibus indignabundisque:

Trin. 802: quid nunc stas? quin tu hinc te amoves et te moves?

Merc. 189: quin cavisti, ne eam videret, verbero?

Praeterea quin coniungitur cum indicativi et singularis et pluralis prima persona:

Merc. 968: quin tibi ambo operam damus.

Pers. 598: quin laudo inquam consilium tuum.

Denique huc pertinet is particulae quin usus, e quo quin ut adverbium coniungitur cum aliis temporibus.

Primus deinde transitus particulae quin in *ὑπόταξιν* apparet, si cum quin-enuntiatis ea coniunguntur, quae sententiam eius qui dissentit repudient ex persona oratoris; tum enim illa quin-enuntiata sententiam oratoris ipsius afferunt.

Quare fit, ut in eiusmodi structuris enuntiatio primaria semper negativa esse debeat.[17]) Abhorret autem ab hac norma solum illud »mirum quin«, de quo vide infra p. 37.

Velut Pers. 270. nil iam mihi novi

offerri pote, quin sim peritus.

In enuntiato igitur praegresso sententia eius qui dissentit, negatur; is enim putaverat, novum illi offerri potuisse; quo facto orator suam ipsius sententiam in illo quin-enuntiato in medium profert.

Denique autem particula quin transit in *ὑπόταξιν*.

Mil. 369: numquam hercle deterrebor, quin viderim id quod viderim.

Quibus in enuntiationibus *παράταξις* intellectu paulo difficilior est.

Sed nunc singula particulae quin idiomata accuratius examinemus atque explicemus.

I. Quin partes adverbii agit.[18])

a. Quin in adhortantibus interrogationibus usurpatur.

Talibus in enuntiatis particula quin secundum significationem ita adhibetur, ut interrogans adhortansque quam imperativus maiore cum vi imperet. Quae quin-enuntiata acriter graviterque cohortantur, qua re fit, ut hoc quin ipso cum imperativo (vide

---

[17]) Weissenbornius, Jahnii annal. 1848 vol. 53 sect. 3 p. 298. Reisig. Vorls, ed. Haasius adnot. 492.

[18]) Reisig. Vorls. ed. Haasius, adnot. 492.

Digitized by Google

sub b.) et coniunctivi prima persona (vide sub c.) coniungatur. — Plerumque illud quin usurpatur coniunctum cum II. pers. ind. praes.

Atque illa quin-enuntiata sine dubio παρατακτικῶς se habent; velut Poen. 599: quin abis? sic est explicandum:

Warum gehst du denn nicht fort? i e. Geh doch in aller Welt!

Men. 561: quin tu taces? so schweig doch nur!

En vobis igitur huius idiomatis exempla quae in Plauti fabulis nobis servatis inveniuntur:

Trin. 118: Quin eum restituis? quin ad frugem conrigis?
1026: Quin tu quod periit periisse ducis?
Men. 382: Quin amabo is intro? — 561: quin tu taces?
660: Quin refers pallam domum? — 747: quin respicis?
912: Quin tu te suspendis?
916: Quin tu is in malam crucem? — 917: quin tu rogas . . .?
Mil. 751: Quin tu istanc orationem . . . amoves?
1067: Quin tu huic respondes aliquid . . . . . ?
Pseud. 75: Quin fles? — 241: quin revocas?
Men. 428†: Hercle qui (n) tu recte dicis?[19])
Mil. 1184: Quin tu dicis quid facturus sum?[20])
1314: Quin iubes tu ecferri omnia isti quae dedi?[21])
Stich. 479: Quin tu promittis? Pseud. 350: Quin tu ted occidis potius?
Pseud. 638: Quin provocas . . . . ?

---

[19]) Crux illa versibus addita exempla significat falsa vel dubia.

Fleckeisenus, Krit. Misc. Lpz. 1864 p. 28 sqq. copiose explicuit atque illustravit, apud Plautum semper coniungi cum »hercle« particulam asseverationis quî, nunquam autem quin, quam particulam Ritschelius duce Pylade semper fere in textum recepit. Sed omnia eius generis exempla corrigenda sunt in »Hercle qui« quod luculentissime ab Fleckeiseno demonstratur.

[20]) Sic Ritschelius codicem A: sû secutus; reliqui libri exhibent sim; quae lectio fortasse servari potest, si conferamns Men. 638. Pers. 144. Rud. 628. Sed equidem cum Ritschelio facio atque praefero optimi codicis lectionem: sum.

[21]) Hunc versum codices sic exhibent: quin tu iubes efferri, omnia quae isti dedi? quae verba viri docti diversis coniecturis sanare studuerunt. Quarum coniecturarum lenissima mihi esse videtur Lorenzii, qui v. 1338 collato scribi vult: Quin iubes tu ecferri omnia, isti quae dedi? Quae emendatio praeferenda videtur Ritschelii, qui pronomine »ego« inter »quae isti« inserto „omnia" mutat in „dona." Sed et ipse Ritschelius viam ac rationem quam Lorenzius ingressus est, iam indicavit (ad Mil. 1314.)

Digitized by Google

713: Quin tu, si quid opust, mi audacter imperas?[22])
880: Quin tuos inimicos potius quam amicos vocas?[23])
891: Quin tu is accubitum?
1147: Quin tu mecum fabulare?
1332: Quin vocas spectatores simul?

Bacch. 245: Quin tu salutem primum reddis quam dedi?
258: Quin tu id me rogas?

Merc. 1007†: Hercle qui(n) tu recte dicis?[24])

Bacch. 861: Quin tu me exsolvi iubes?

Most. 343: Quin amabo accubas, Delphium mea?
572: Quin tu istas mitt¡s tricas? — 1131: quin venis?

Pers. 397: Quin tu me ducis, si quo ducturu's, pater?
424: Quin tu mi argentum reddis? — 437: quin das?
625: Quin tu hanc emis? — 672: quin tu intro is?
730: Quin taces? Sei doch nur still; esto securus.
813: Set quin tu meis contra item dictis servis
atque hoc, quod tibi suadeo, facis?

Capt. 592: Quin fugis? — 636: quin quiescis?

Curc. 84: Quin tu taces? — 94: quin das savium?
183: Quin tu is dormitum? 611: quin tu is in malam crucem . . ?

Amph. 775: Quin istanc iubes Pro cerrita circumferri?
918: Quin huc adducis meum cognatum Naucratem. . . . ?

Asin. 254: Quin tu aps te socordiam omnem reicis, segnitiem amoves
Atque ad ingenium vetus vorsutum te recipis tuum?
325: Quin rem actutum edisseris?

Asin. 659: Quin tu labore liberas te atque istam inponis in me?

---

[22]) Sic Lorenzius auctore Buggio (Philol. XXX. p. 256) et Muellero (Nachtr. z. Plaut. Pros. p. 120 adnot.) In codice A extant haec: TU . IQUIDO . . . . ST MIHI quibus ex literis facillime recta lectio evadit. Ritschelius autem perperam »si quid« mutat in »quod«. Nam exempla qualia extant Most. 614; 187. Merc. 185. testantur, Plautum illud »si quid« simplici pronomini relativo praetulisse.

[23]) »Tuos« est coniectura Lorenzii. In codice A extat: »quin tu . . illos« quae verba Ritschelius mutat in »quin tu illo.« Sed collato versu 878 Lorenzii coniectura magis arridet.

[24]) Fleckeisenus, Krit. Miscellen p. 28 sqq.

Digitized by Google

661: Quin tradis huc cruminam erum pressatum?
868: Quin tu illum iubes ancillas rapere sublimem domum — ?
Merc. 174: Quin tu expedis? 609: Quin tu illud potius nuntias quod nescis?
494: Quin taces? 671: Quin is ocius? 724: Quin dicis?
773: Quein abeis? 778: Quin abis? 894: Quin commostras, si vides?
914: Sed quin intro ducis me ad eam ut videam?
942: Quin tu istas omittis naugas ac mecum huc intro ambulas?
951: Medicari amicus quin properas mihi?
Epid. 465: Quin tu fidicinam Intus produci iubes?
Truc. III. 2. 22: Quin tu arrabonem dicis? Poen. 362: Quin abire sinis?
Poen. 599: Quin abis? Cas. 11: Quin ruri es in praefectura tua?
Cas. 12: Quin potius, quod legatum est tibi negotium,
Id curas atque urbanis rebus te abstines?
181: Quin, si ita arbitrare, emittis me manu?
754: Quin tu pergis?
Epid. 295: Quin tu is intro atque huic argentum promis?
468: Quin tu huc producis fidicinam Acropolistidem?
600: Quin tu mi adornas ad fugam viaticum
Priusquam pereo? Cas. 495: Quin tu suspendis te?
Poen. 362: Quin tibi qui bene volunt, bene vis item?[25])

Praeterea huc spectant exempla, in quibus quin-enuntiatum praegressis opponitur. Tum hic sententiarum connexus evadit: In praegressis enim orator positive ut ita dicam aliquem de aliqua re reprehendit atque deinde in quin-enuntiato cohortatur atque interrogat cur non potius quidquam melius faciat; velut Trin. 862: Quid nunc stas? quin tu hinc te amoves et te moves?

En exempla: Asin. 597: Quo nunc abis? quin tu hic manes?
Poen. 961: Quid tu mihi testis? quin tu insistis fortiter?
Trin. 500: Quid taces? — — — — Quin fabulare — — — ?
Men. 660: Quid taces? quin dicis quid sit?
Men. 1114: Quid clamas? quin taces?
Mil. 446: Quid, malum, astas? quin tenes altrinsecus?[26])

[25]) Sic Geppertus codicem A secutus.
[26]) Tenes altrinsecus non est mutandum in retines altrinsecus cf. Pseud. 266.

Digitized by Google

Mil. 1087: Quid nunc stas? quin abis?[27])

Mil. 1387: Quid stas? quin intro is? Was stehst du hier? Warum gehst du doch nicht hinein?

Stich. 714: Quid fastidis. . . . . ? quin bibis?

Epid. 667: Quid nunc cessas? conliga. . . . . Quin conligas?[28])

Pers. 144: Quid est? quin dicis, quid facturus sis?

Praeterea illud quin invenitur usurpatum cum aliis temporibus.

Stich. 576: Quin vocasti hominem ad te ad cenam?

Merc. 189: Quin cavisti, ne eam videret, verbero?

Rud. 841: Quin occidisti extemplo?

Poen. 1306; Quin adhibuisti, dum istaec loquere, tympanum?[29])

Curc. 251: Quid stas? quin depromuntur mihi, quae opus sunt?

Pseud. 204: Quin conveniunt? Quin una omnes peste hac populum liberant?

Most. 575†: Quin mihi faenus redditur?[30])

Stich. 137: Quid illos exspectatis, qui abhinc iam abierunt triennium? Quin vos capitis conditionem ex pessuma primariam?

Men. 1000: Quin me mittitis?

Merc. 932: Quin pedes vos in curriculum coicitis
In Cyprum recta . . . . . ?

Cas. 633: Quin agitis? hodie quin datis, si quid datis?

Trin. 360: Quin comedit, quod fuit, quod non fuit?

Pseud. 501: scibam, quin dictumst mihi?

Cas. 820: Quin id fieri non potest?

Trin. 291: Quin prius me ad pluris penetravi?

Merc. 190: Quin, sceleste, eam abstrudebas, ne eam conspiceret pater?

b) Particula quin cum imperativo ipso coniungitur, qua in structura et imperativus et particula sui iuris est. Hoc particulae quin idioma non nisi

---

[27]) Codices exhibent: quid hic nunc stas? Sed recte Ritschelius illud »hic« omittit. Nam ex usu Plautino elucet, in eiusmodi structuris semper illud hic omitti; cf. Trin 802. Merc. 582. Mil. 1387. Curc. 251.

[28]) Sic recte scripsit Geppertus.

[29]) Codd. concinunt in lectione: Cur non, quam Geppertus recte mutat in: quin.

[30]) Coniectura est Ritschelii; in Palatinis modo »ditur« est servatum; cf. Ritsch. Parerg. p. 493 sq.

Digitized by Google

in sermone familiari comicorum invenitur atque adhibetur ad adhortationem urgendam ac premendam. Velut Trin. versibus 680—691 Stasimus a Lesbonico ut abeat sic postulat:

Tu i modo — — i modo — — quin tu i modo — — i modo, i modo, i modo. — Eiusmodi autem quin-enuntiata originem ducunt ex eo usu, secundum quem particula quin adhibetur in adhortantibus interrogationibus. (vide sub a.) Sed haec structura particulae quin imperativum antecedentis sine dubio non nisi παρατακτικῶς explicari potest atque in duo sui iuris membra dissolvenda est.

Velut Pers. 790 extat: »Quin iube eum adire«, quod significat: Wie denn nicht? Heisse ihn doch hingehen!

Merc. 183: Quin abi hinc dierectus. Wie wohl nicht?
Geh zum Henker!

En exempla huius idiomatis, quae apud Plautum extant:

Trin. 582: Quin tu i modo. — 584: Quin tu i modo.

Men. 416: Quin tu tace modo. Mil. 1046: Quin tu huic responde.

Mil. 974: Quin tu illam iube abs te abire quo lubet.

Pseud. 1183: Quin tu mulierem mi emitte; aut redde argentum.[31])

Bacch. 276: Quin tu audi.

Hoc quin est contracta interrogatio atquə per se spectandum: »quin tu audi« dissolvendum est: quin (facis)? tu audi! Warum nicht? Höre doch.

Most. 172: Quin me aspice et contempla.

584: Quin vos mihi faenus date. — 815: Quin tu i intro.[32])
855: Quin tu illam aspice. — 1089: Quin cita illum in ius.
572: Quin quid vis cedo. — Pers. 790: Quin iube eum adire.

Pers. 804: Quin elude ut soles. — Merc. 183: Quin abi hinc dierectus.

Merc. 185: Quin tu si quid vis roga. — 937: Quin sequere.

Curc. 241: Quin tu aliquot dies perdura.

---

[31]) Codd. »quin tu emittis mihi mulierem aut reddis argentum.« Sed Ritschelii emendationem amplectar. Harpax enim a Ballione ludificatur, cum Ballio illum Pseuduli dolis adornatum venire putet. Atque Harpax valde iratus acerbissime a lenone postulat: quin tu mulierem mi emitte: aut redde argentum! Qua in conditione hiatus mea quidem sententia sane quam apte se habet.

[32]) Quo in versu Lorenzius »tu« ante imperativum i omittit; causas, quibus commotus id fecerit non inveni. Sed ex consuetudine Plautina apparet, illud tu esse necessarium ante formam »i«; cf. Trin. 582; 584. Merc. 955. Rud. 1170. Cas. 623. Propterea vix dubitandum est, quin poeta etiam hoc loco illud »tu« adhibuerit.

Digitized by Google

Rud. 946: Quin post eloquere quid vis.

1170: Quin dierecta i tu cum sucula et cum porculis.

Epid. 266: Quin tu eloquere: quid faciemus? — 294: Quin para.

Poen. 502: Quin, si ituri hodie estis, ite. — Cas. 817: Quin responde.

Aul. 631: Quin tu eloquere. — Epid. 228: Quin tu, ut occepisti, loquere.

Cas. 623: Quin tu i modo mecum domum. Warum nicht? Geh doch nur mit mir ins Haus.

Unum extat exemplum, in quo acris cohortatio verbo »quaeso« addito paululum mitigatur:

Most. 187: Quin mone quaeso, si quid erro.

c) Nonnumquam praeterea acris adhortatio ita exprimitur, ut particula quin coniungatur cum praesentis coniunctivi prima persona. Sed eodem modo, quo eae enuntiationes, in quibus quin imperativum antecedit, παραταχτικῶς explicandae sunt, etiam in his sententiis singula membra dissolvenda sunt; velut Mil. glor. 426:

Quin ego hoc rogem, quod nesciam?

quod sic explicari debet: Wie denn nicht? Frage ich ihn danach! i. e. Wie denn soll ich ihn nicht fragen!

Cuius generis haec exempla apud Plautum inveniuntur:

Bacch. 1049: Quin ego istic quod perdundumst, properem perdere?

nam ita pro »quid ego istic« Ritschelius admodum probabiliter.

Poen. 1238: Quin eloquar?

Poen. 561: Quin deciderint velim.

d) Admodum frequens particulae quin idioma est, e quo quin cum indicativi et singularis et pluralis prima persona coniungitur. Qua structura quasi fit, ut orator sese adhortetur suumque animum confirmet; velut Cas. 712 extat:

Quin imus ergo? quod sic dissolvendum est: Ja warum nicht? Wir gehen also?

En exempla:

Merc. 908: Sed quin ornatum hunc reicio?

Merc. 387: Quin ego hunc adgredior de illa? quin ego hinc me amolior?

Asin. 291: Quin ego hanc iubeo tacere, quae loquens lacerat diem?

Rud. 236: Quin voco, ut me audiat, nomine illam suo?

586: Quin abeo hinc in Veneris fanum?

Men. 247: Quin nos hinc domum redimus — — — ?

Pseud. 1049: Quin hinc cito imus gradibus militaribus?

Pers. 765: Sed amabo, oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus?

Digitized by Google

Asin. 680: Quin ad hunc, Philenium, adgredimur?

e) Illis in exemplis particula quin in interrogationibus posita intellegitur; sed praeterea saepius usurpatur in enuntiationibus affirmativis, velut Cas. 182: Quin id volo.

Tale enuntiatum sic est explicandum: Wie wohl nicht? Das will ich auch! ergo παρατακτικῶς se habet. In eiusmodi sententiis Holtzius[33]) docet quin particulam »in intensivam significationem se convertisse et significare fere idem quod »adeo« quae significatio ex contracta orationis forma explicanda sit«. Ac re vera plerumque illud quin vertere solemus: »Sogar. Fürwahr«.

Sed significatio primitiva in his quoque quin-enuntiationibus sine dubio est »Wie wohl nicht?«

Haec exempla apud Plautum inveniuntur:

aa) Quin cum praesenti coniunctum:

α) cum indicativi singularis I persona.

Merc. 764: Quin nego.

Cist. I. 2. 4—7:†) Quin ego nunc . . . . . Tacere nequeo.[34])

Merc. 461: Quin ad navem iam hinc eo. — 322: Quin non obiurgo.

Trin. 932: Quin discupio dicere. — 1148: Quin conlaudo consilium et probo.

Men. 634: Quin ut dudum devorti abs te redeo.

687: Quin tibi dico uxorem rescivisse. — 892: Quin ea te causa duco

Mil. 521: Licetne? quin te iubeo. — 1333: Quin malo abscedas.

Pseud. 560: Quin tibi hanc operam dico. — Merc. 724: Quin, si liceat (sc. dico.)

Bacch. 469: Quin ego, quom peribat, vidi, non ex audito arguo.

1138: Quin aetate credo esse mutas. — Most. 599: Quin eam non peto.

Pers, 485: Quin tibi me dico credere. — Asin. 321. —

Capt. 643: Quin exploratum dico et provisum hoc tibi.

Amph. 359: Quin me esse huius familiai familiarem praedico.

Asin. 114: Quin te quoque ipsum facio hau magni.

Cas. 210: Quin, si tu nolis filiusque etiam tuos,
Vobis invitis atque amborum ingratiis
Una libella liber possum fieri.

Cist. II. 1. 42: Quin ego commentor quidem.

---

[33]) cf. Holtzium, synt. vol. II. p. 314, 316.

[34]) Quo de loco vide Ritschelium, Parerg. p. 237. adnot.

Digitized by Google

Aul. 745: Quin tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam meam.

Poen. 1345: Quin egomet tibi me addico. — Epid. 300.

Truc. II. 3. 6†: Qui[n] hercle lassus iam sum durando miser.[35])

β) cum indicativi singularis II persona.

Merc. 412†): — 1007†,: Hercle qui[n] tu recte dicis.[35])

950: Eho tu, quin tu somnias.

Rud. 518: Quin tu hinc is a me in maxumam malam crucem.

Capt. 589: Quin tute is es. — Amph. 972: Quin venis quando vis intro.

Rud. 122: Quin tu in paludem is exicasque harundinem.

Poen. 697†: Qui[n] hercle accipere tu non mavis quam ego dare.[36])

γ) cum indicativi singularis III persona.

Mil. 1398: Quin iam dudum gestit moecho hoc abdomen adimere[37]).

Trin. 557: Quin hic quidem cupit. — Men. 1058: certo. Quin certissumumst.

Most. 954: Quin sex mensis iam hic nemo habitat.

Merc. 502: Quin tibi quidem, quod rideas, magis est quam ut lamentere.

628: Quin tibi in manust, quod credas. — 935: Quin domist.

Capt. 560: Quin suum ipse interdum ignorat nomen neque scit, qui siet.

990: Quin istic ipsust Tyndarus tuos filius.

Curc. 33: Quin leno hic habitat.

Asin. 729: Quin nec caput nec pes sermonum adparet.

Cas. 94: Quin meam ancillulam ingratiis postulat.[38])

Aul. 297: Quin divom atque hominum clamat continuo fidem.

Aul. 300: Quin quom it dormitum, follem obstringit ob gulam.

557: Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet.

Poen. 148: Quin si feriri video te, extemplo dolet.

663: Quin hic quidem tuos est.

Pers. 40: Quin si egomet totus veneam, vix recipi potis est.

δ) cum indicativi pluralis prima persona.

Merc. 968: Quin tibi ambo operam damus.

ε) cum indicativi pluralis III. persona.

---

[35]) cf. Fleckeisenum, Krit. Misc. p. 28 sqq.

[36]) cf. Fleckeisenum, Krit. Misc. p. 28 sqq.

[37]) Non video causam, cur cum Brixio contra codicum auctoritatem »gestio« recipiamus pro »gestit« (sc. culter).

[38]) Sic Geppertus; codd. »mihi« pro »meam.«

Digitized by Google

Mil. 1079: Quin mille annorum perpetuo vivont.

Most. 824†: Hercle qui(n) multo inprobiores sunt.[39])

Curc. 249: Quin coniectores a me consilium petunt.

Epid. 226: Quin vocant Laconicum.[40])

387†: Quin omini omnes suppetunt res prosperae.[41])

ζ) cum coniunctivi singularis II. persona.

Epid. 440: Quin tu alium quaeras.

Merc. 155: Quin iam priusquam sim eloqutus, scias si mentiri volim.

η) cum coniunctivi singularis III. persona.

Amph. 636: Quin incommodi plus malique ilico adsit, boni si optigit quid.

Trucul. II. 1. 19: Quin ubi nihil det, pro infrequente eum mittat militia domum.

bb) Quin cum imperfecto coniunctum.

Stich. 559†: Qui(n) hercle aequom postulabat senex[42])

Merc. 216: Quin quicque, ut dicebam, mihi credebat.

Truc. II. 6. 25: Quin ubi natust, machaeram et clipeum poscebat sibi.

cc) Quin cum perfecto coniunctum.

α) cum singularis I. persona.

Mil. 882. Quin egomet ultro, Postquam adbibere aures meae tuae oram orationis Tibi dixi.[43])

Men. 1051: Quin modo eripui. — Merc. 223: Quin ea ego huc praecucurri gratia.

Capt. 975: Quin melius novi quam te et vidi saepius.

β) cum singularis II. persona.

Men. 1092†: Hercle qui(n) tu me admonuisti recte[44])

Amph. 410: Quin, quae dixisti modo, omnia ementitu's.

γ) cum singularis III. persona.

---

[39]) cf. Fleckeis. Krit. Misc. p. 28 sqq.

[40]) Sic Geppertus; codd. »Qui? Vocant Laconicum.«

[41]) Sic Geppertus locum depravatum restituit.

[42]) Codd. hercle quia equm, quae verba Fleckeisenus recte restituit: hercle qui aequum. cf. Krit. Misc. p. 28 sqq. p. 29.

[43]) Quin egomet ultro ex libris restituit Acidalius, divinatt. in Pl. p. 298. Bothius autem, eumque secutus Ritschelius: Quid? egone frustra . . . ? Traditum »moram« Gulielmus Verisim. III., 11 emendat in »oram«, Saum, Rand (cf. Lucr. 4, 12.)

[44]) cf. Fleckeisenum, Krit. Misc. p. 28 sqq.

Digitized by Google

Mil. 367†: Quin cum alieno adulescentulo dixit.[45])

1277: Quin tua causa exegit virum ab se.

Pseud. 295: Quin nomen quoque iam interiit »mutuom.«

742: Quin in corde instruere quondam coepit thermopolium.

795: Quin ob eam rem Orcus recipere ad se hunc noluit.

Most. 764†: Quin aestu audivit esse ibi victum perbonum.[46])

Amph. 617: Quin intro ire in aedis numquam licitumst.

Bacch. 312: Quin in eapse aede deae Dianae conditumst.

Most. 1084: Quin ius iurandum pollicitust dare se.

δ) cum pluralis I. persona.

Most. 910. Quin ego ipse et Philolaches in publico omnis porticus sumus commensi.

ε) cum pluralis III. persona.

Mil. 66: Itane aibat tandem?
Quin me ambae obsecraverunt.[47])

Epid. 243: Quin hodie adlatae tabellae sunt.

dd) Quin cum plusquamperfecto coniunctum.

Pseud. 549: Quin rus ut irem, iam heri mecum statueram.[48])

ee) Quin cum futuro et futuro exacto coniunctum.

α) cum futuro I.

Most. 614: Quin feram, si quid datur

Aul. 808: Quin ego illi me invenisse dicam hanc praedam atque eloquar[49])

Men. 894: Quin sospitabo.[50]) — Trin. 464†: Hercle qui[n] dicam tamen.[51])

---

[45]) Sic Ritschelius. Sed paulo post versum aliter perpolivit et ex tradito »atque« coniectura quin deleta, »ac« emendavit cf. praef. Stich. p, 17.
Fortasse atque Pyrrhichius esse potest; tum codicum lectio recte se habeat.

[46]) Sic versus obscurus a Ritschelio restitutus est.

[47]) A aibat (Ritschelius: aibant) teste Gepperto, Plaut. Stud. II. p. 12.
Quin cod. H. Guyetus, ceteri libri exhibent: quae que.
Sed quin sine dubio aptissima est lectio, cum ea adhibita gradatio fiat triplex cf. Lorenzium ad hunc l.

[48]) Sic Lorenzius (Philol. XXXV p. 174 sq.) quam lectionem praefero Ritschelii »constitiveram.« Nam Plautus ludit verbo statuendi. Callipho enim dicit, consilium se cepisse (mecum statueram) in prandium eundi; cui Pseudulus respondet, idem verbum usurpans, eum omnia disturbare debere, quae construxerit (statuerit.)

[49]) Codd. »dico« quod Wagnerus propter sequentem formam »eloquar« recte mutat.

[50]) Sic Ritschelius; libri »suspirabo.«

[51]) Vide Fleckeisenum, Krit. Misc. p. 30, qui »hercle qui meus« scribi vult.

Digitized by Google

Capt. 856: Quin ita faciam ut tute cupias facere sumptum.

Rud. 760: At quin, quia votas, utramque iam mecum abducam semul.

Mil. 1124: Quin, si voluntate nolet, vi extrudam.

Stich. 624: Quin, si iusseris, eo quoque ibo.

Asin. 237: Quin, si tu voles domi servi qui sunt castrabo viros.

Poen. 1073: Quin mea quoque iste habebit. — Most. 599: Quin sortem [iam redhi]bebit.[52])

β) cum futuro II.

Stich. 593: Quin tum stans obstrusero aliquid strenue.

Poen. 898: Quin prius disperibit faxo.

900†) Qui[n] meus hercle collibertus faxo eris.[51])

Quod quin saepissime repetitur Cas. 498—505, quo loco Plautus illa quin particula ludere videtur. — En versus:

Alcesimus: Quin eapse ultro mihi

Negavit eius operam se morarier.[53])

Stalino: Quin eapse me adlegavit, qui istam arcesserem.[54])

Alc. Quin nihili facio.

Stal. Quin me perdis.

Alc. Quin bene est.

Quin etiam diu morabor, quin cupio tibi,

Quin aliquid aegre faciam, quin faciam lubens.

Numquam tibi hodie id quin erit plus quam mihi.

Qui[n] hercle te di perdant postremo quidem!

ff) Quin sine verb extans.

Praeterea duo exempla apud Plautum inveniuntur, in quibus nullum extat verbum, sed facile ex praegressis suppleri potest.

Mil. 330: Quin domi eccam.

Capt. 1015: Quin huius filium intus eccum, fratrem germanum tuum.

Tertium autem exemplum extaret ex Fleckeiseni coniectura Pseud. 1165:

Quin malum, id totum tuum.

---

[52]) Est coniectura Ritschelii.

[53]) Cod. A eapsultro, ceteri ea ipsa ultro.

[54]) Eapse Bothius legit, libri ea ipsa. De ea formatione vide Corssenum II, p. 847. Schmidtium de pron. p. 25 sq.

Digitized by Google

Codd. exhibent: Quid, malum? id totum tuomst, quam lectionem Lorenzius optime sic defendit: Ballio thut, als verstehe er nichts: Quid sc. commune esse oportet? malum? ein Unglück? i. t. t. . . . Quae explicatio mea quidem sententia rectissime se habet. Ballio enim suspicatur, Harpacem esse Pseuduli adiutorem, atque gaudet, quod argentum teneat. Propterea, cum Simo eum, ut dimidium argenti sibi det, hortetur, iocoso responso eum repellit.

f) Significatio adverbii quin addito vocabulo corroboratur.

aa) Quin ergo — ergo quin.

α) Praeterea saepe particulae quin addito quodam vocabulo maior vis attribuitur. Huc referenda est formula apud Plautum admodum frequens: »quin ergo«, quae saepe ad cohortationem premendam usurpatur; velut Asin. 30: Quin tu ergo rogas? Wie denn fragst du doch nur nicht?

Sine dubio orator eiusmodi structuram usurpans etiam maiore cum vi cohortatur atque imperat, quam simplicem: Quin rogas?

Qua de formula quin ergo vel quin tu ergo quae eadem haud raro invenitur, Handius Tursell. II. p. 455 haec adnotat: »Ea (sc. formula) utitur, qui miratur, aliquam rem non factam esse vel non fieri.«

Mil. 1085: Quin ergo abis? Ja warum denn doch gehst du nicht?

Asin. 380: Quin tuum officium facis ergo ac fugis?

850: Quin te ergo hilarum das mihi?

30: Quin te ergo rogas?

Merc. 929: Quin tu ergo itiner exsequi meum me sinis?

582: Quid stamus? quin ergo imus atque obsonium curamus?

Cas. 712: Quin imus ergo?

Pseud. 1016: Quin sequere ergo intro. Poen. 711: Quin sequere me ergo.

Merc. 955: Quin tu ergo i modo.

Rud. 628: Quin tu ergo omitte genua et quid sit mi expedi.

β) Praeterea bis invenitur formula »ergo quin«, in qua cohortatio etiam gravior in esse mihi videtur.

Pseud. 40: Ergo quin legis? Mer 895: Ergo quin videam facis?

bb) Adverbio quin additur »inquam«.

Nonnumquam accessionem vel gradationem particulae quin efficit forma »inquam« qua addita distinctius graviusque imperatur.

Asin. 377: Quin promitto, inquam, hostire.

Pers. 598: Quin laudo, inquam, consilium tuum.

Capt. 1017: Quin, inquam, intus hic est.

Digitized by Google

Aul. 751: Quin tu iam invenies, inquam, illam meam esse oportere[55])

Capt. 644: Quin nihil, inquam, invenies magis hoc certo certius.

Most. 456: Quin pultando, inquam, paene confregi foris.

cc) Quin potius.

Interdum apud Plautum invenitur etiam formula »quin potius«, quae significat: Ja sogar (Im Gegentheil) — vielmehr. Ergo illud quin refutat quae in praegressis dicta sunt. —

Merc. 609: Quin tu illud potius nuntias quod nescio? — Cas. 12.

Mil. 951: Quin tu tuam rem cura potius quam Seleuci.

Rud. 1011: Quin tu potius praedam divide.

Mil. 1185: Quin potius per gratiam bonam abeat abs te. — Pseud. 350.

dd) Quin etiam.

Nonnumquam porro coniunguntur »quin etiam«,[56]) qua formula eundem in modum gravior affirmatio vel gradatio particulae quin exprimitur.

Merc. 1002: Quin loris caedite etiam, si lubet.

Most. 422: Quin etiam illi hoc dicito.[57])

Men. 806: Quin etiam nunc habet pallam.

Mil. 301: Quin etiam nunc intus hic in proxumost.

Merc. 328: Quin mihi quoque etiamst ad portum negotium.

Capt. 290: Quin etiam . . . . . Samiis vasis utitur.

Poen. 561: Quin etiam deciderint vobis fulmina in talos velim.[58])

Cas. 502: Quin etiam diu morabor.

ee) Quin edepol.

Tum Plautus particulae quin subiungit »edepol«, qua compositione etiam affirmatio adiicitur gravior distinctiorque.

Cas. 417: Quin edepol servos, ancillas domo,
certum est omnis mittere ad te.

---

[55]) Sic Wagnerus secutus Brixium, qui traditum »eam« in »iam« mutavit.

[56]) Lorenzius errat, cum ad Most. 582 haec adnotat: »Bekannt sind die Verbindungen quin etiam, quin immo«; nam formulam quin immo equidem apud Plautum invenire non potui.

[57]) Imperativum futuri Plautum eodem modo, quo praesentis usurpare Lochius docet, Der Imperativ bei Plautus, Progr. von Memel 1871.

[58]) Sic Geppertus; codd. femina pro fulmina.

Digitized by Google

Poen. 572: Quin edepol condoctior sum quam tragoedi aut comici.

Epid. 113: Quin edepol egomet clamore defatigor, differor.[59])

ff) Quin equidem.

Semel »equidem« efficit gradationem particulae quin.

Aul. 642: Nunc laevam ostende.

Quin equidem ambas profero.

gg) Quin edepol etiam.

Semel Plautus particulae quin subiungit »edepol etiam.«

Cas. 5: Quin edepol etiam, si in crucem vis pergere

Sequi decretum est.

H. Nunc ad ea quin-enuntiata transeamus, quibus ὑποτάξεως semina sunt nnata. Tractanda igitur sunt particulae quin in periodis extantis exempla, in quibus παράταξις etiam facillime demonstrari potest. — — Ac primum quidem ad faciem vel formam quin-enuntiatorum in periodis pauca notanda sunt, scilicet cur particulam quin semper negatio antecedat in primaria sententia, deinde, cur altera negatio particulam quin sequi non possit. De ea autem quaestione, cur quin non nisi antecedente negatione poni possit, Haasius[60]) copiose ornateque dicit. Quo duce paucis exponere uvat, quibus ex causis antecedat negatio necesse sit. Tota haec quaestio continetur coniunctivi natura ac significatione.[61]) Coniunctivus autem significat id quod fieri, sed certis condicionibus ad verum perduci potest. Ergo illae quin-enuntiationes, in quibus semper coniunctivus extat, significant non id quod est, sed quod fieri potest. Quoniam illud quin-enuntiatum cum primaria sententia arte coniungitur, fieri non potest, ut in praegressis verum quid affirmatum sit; unde efficitur, ut negatio ante quin prorsus necessaria sit.

De altera autem quaestione, cur id quod in quin-enuntiatione dicitur, certum quid sit oporteat, idem Haasius[62]) sane quam bene sic disserit: »Das (durch quin eingeführte) Prädikat muss ein positives sein, ... Das Gegentheil wäre zwar an sich nicht unmöglich; aber es entstände dadurch etwas vollkommen Ueberflüssiges, indem die allgemeine Negation erst durch quin aufgehoben wird und dann durch die dritte Negation doch wieder hergestellt werden soll.«

---

[59]) Sic Geppertus; codd. differor, diffatigor, qui error facile nasci poterat.

[60]) Reisig. Vorls. ed. Haasius adnot. 492.

[61]) Etzlerus, Spracherörter. p. 111—134.

[62]) Reisig. Vorls. ed. Haasius adnot. 492 p. 577.

Digitized by Google

Sed de his quaestionibus, quae ad omnes enuntiationes ex primaria sententia pendentes spectant, hactenus. Atque nunc redeamus ad quin-enuntiata in hac paragrapho illustranda. Huc autem ea quin-enuntiata referenda sunt, quae cum praegressis hunc in modum coniunguntur: orator negatis eis quae adversarius in sententia primaria affirmat, quin-enuntiatione quae ipse sentit affert pro falsa adversarii sententia. Ergo locus qui est Aulul. 131 sq.:

Neque occultum id haberi neque metu mussari
Quin participem pariter ego te et tu me ut facias[63])

sic explicandus est: Adversarius putat: »occultum id haberi«, quam sententiam orator negans e contrario dicit: »Quin participem pariter ego te et tu me ut facias.«

a) Huc autem spectant ea exempla, ubi in sententia primaria extat particula tam cum adiectivo coniuncta. Ad hunc usum illustrandum afferam optimam illam enuntiationem, quae est Terent. Heaut. IV. 2. 8:

Nil tam difficilest, quin quaerendo investigari possiet.

In hoc igitur exemplo »tam difficile« est sententia eius qui dissentit, cui vocabulo »nil« negatae orator satis affirmanter opponit verba quin-enuntiationis: Quin quaerendo investigari possiet?

Warum sollte es nicht . . . ?

Ergo ex eiusmodi exemplis facilius cognoscere possumus, a principio hanc structuram παρατακτικῶς se habuisse.

Apud Plautum autem haec exempla inveniuntur:

Pers. 690: Nil mihi tam parvist, quin me id pigeat perdere.

Capt. 408: Numquam erit tam avarus, quin manu te emittat gratiis[64]).

Asin. 944: Nec quisquamst tam ingenio duro nec tam firmo pectore,
Quin, ubi quicque occasionis sit, sibi faciat bene.

Curc. 284: Nec quisquam sit tam opulentus, qui mi obsistat in via, — — —
287: Quin cadat, quin capite sistat in via de semita.

Aul. 783: Qui homo culpam admisit in se, nullust tam parvi preti,
Quom pudeat, quin purget sese.[65])

---

[63]) Sic Wagnerus. Quo loco ut particulam abundare recte Goellerus adnotat.

[64]) Sic Fleckeisenus verba collocari vult, cf. epist. crit. ad Fr. Ritschelium p. XXII. Brixius autem olim: quin te gratus emittat manu, nunc: quin te manud emittat gratiis. Sed amplectar Fleckeiseni lectionem, praesertim cum »gratiis« hic prorsus in loco sit, quod servus erum e vinculis emittendo eum summo affecit beneficio.

[65]) Quom pudeat pro Quin pudeat est optima coniectura Bothii.

Digitized by Google

Huc quoque pertinet mea quidem sententia illud exemplum, quod invenitur Mil. 741: Nam hospes nullus tam in amici hospitium devorti potest,

Quin, ubi triduom ibi continuom fuerit, iam odiosus siet.

Quo in exemplo »tam« coniungitur cum substantivo verbali, quae coniunctio haud raro occurrit. Eiusmodi substantiva verbalia notionem vel vim habent adiectivorum.

b) Huc deinde referendae sunt locutiones: »nemo est, nihil est, quin«; praeterea interrogationes negante sensu instructae veluti »quis est«, quibus de structuris grammatici et veteres et recentiores multum disputaverunt. Sententia autem quae apud plerosque assensum invenit, est, in particula quin inesse nominativum pronominis relativi, atque quin idem esse, quod qui (quae, quod) non. Quam sententiam recte reicit Kruegerus[66]) exemplo allato quod est Cic. de nat. deor. II. 9. 24: »Cleanthes negat ullum esse cibum tam gravem, quin is die et nocte concoquatur.« — Vide praeterea Cic. in Verr. I, 59 § 154: »Quis unquam templum illud aspexit, quin avaritiae tuae testis esset? Quis — in circum maximum venit, quin is unoquoque gradu de avaritia tua commoneretur?[67]) Eiusmodi loci dilucide demonstrant, in particula quin non inesse relativi pronominis nominativum, cum »is« cum »qui« coniunctum extare non possit. Kruegerus autem aliique hoc quin ortum esse ex quî ne[68]) putant atque significare idem quod »ut non.« Sed haec quoque explicatio minus placet. Atque rectius multoque simplicius tales structurae mihi videntur explicari ex *παρατάξει* ortae; particula quin autem significationem habet primitivam: Wie nicht? Quanquam notandum est, in eiusmodi exemplis nos amare particulam quin vertere »ohne zu, ohne dass«; sed proprie ut dixi, illa significat: Wie sollte nicht? vide Ter. Eun. IV. 7. 21:

Nunquam accedo, quin abs te abeam doctior. i. e.
Niemals komme ich zu dir ohne dass ich klüger weggehe.

Sed si a principali eiusmodi locutionem significatione proficiscamur, illud exemplum mea sententia sic est dissolvendum:

Niemals komme ich zu dir; wie sollte ich nicht klüger fortgehen?

Bacch. 336: Nullust Ephesi quin sciat: Niemand lebt in Ephesus; wie sollte er das nicht wissen.

En huius idiomatis exempla, quae apud Plautum inveniuntur:

Bacch. 1012: Nihil est illorum, quin ego illi dixerim.

---

[66]) cf. Gramm. der latein. Sprache § 595 adnot. 3.

[67]) Plura exempla exhibet Haasius, Reisig. Vorls. adnot. 492 p. 578.

[68]) Kruegerus, Gramm. d. lat. Spr. § 595 adnot. 3.

Digitized by Google

Trin. 533: Neque unquam quisquamst, quoius ille ager fuit,
Quin pessume ei res vorterit.

Stich. 208: Nam curiosus nemost, quin sit malevolus.

Pers. 55: Nam numquam quisquam meorum maiorum fuit,
Quin parasitando paverint ventris suos.

Merc. 362: Nec sacrum, nec tam profanum quicquamst, quin ibi ilico adsit.

Cist. I. 1. 17: Nec nisi disciplina apud te fuit quicquam.
Ibi, quin mihi placeret.

Quo hae quoque structurae pertinent:

Pers. 270: Nil iam mihi novi
Offerri pote, quin sim peritus.

Amph. 238: Nemo convortitur
Nec recedit loco quin statim rem gerat.

Most. 329: Non cades quin cadam tecum.
146: Non videor mihi
Sarcire posse aedis meas, quin totae perpetuae ruant.

Pers. 365: Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala.
367: Eadem leguntur.

Truc. V, 15: Numquam uno hoc die ecficiatur opus, quin opus semper siet.

Huc quoque spectant duo exempla, in quibus verbum praetereundi coniunctum est cum particula quin.

Epid. 422: Cave praeterbitas ullas sedes quin roges.

Aul. 470: Jam hunc non ausim praeterire quin consistam ac conloquar.

Truc. IV, 4. 16: Aetatem qui uni cubili numquam committit suam,
Quin, si unum ostium obsideatur, aliud perfugium petat.[69])

c) Eodem tum spectant locutiones: non sino, non patior quin, similesque; sine dubio eundem in modum explicandae sunt, quo illae enuntiationes sub b tractatae; velut Curc. 208 sq.:

Ita me Venus amet, ut ego te hoc triduom numquam sinam
In domo esse istac, quin ego te liberalem liberem.

Sic enim dissolvam: Nie will ich es zugeben, dass du etc. Wie sollte ich dich nicht frei machen? En cetera exempla:

---

[69]) Sic Spengelius Bothium secutus.

Digitized by Google

Mil. 1194: Triduom servire numquam te, quin liber sis, sinam.

Amph. 308: Non feret quin vapulet.

Men. 725: Non, inquam, patiar praeterhac,
Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam.

Amph, 887: Non edepol faciam neque me perpetiar probri
Falso insimulatum, quin ego illum aut deseram
Aut faciat satis ille atque adiuret insuper.

d) Fortasse huc quoque referenda sunt duo exempla, in quibus verbum durandi cum quin particula coniungitur.

Curc. 178: Enimvero nequeo durare quin ego erum accusem meum.

Mil. 1249: Durare nequeo — Ich kann es nicht aushalten, ich
Quin intro eam. — will hineingehen; warum auch nicht?

III. Quin particula transit in *ὑπόταξιν*.

Forma vel facies eiusmodi structurarum haec est: In sententia primaria is qui dissentit id agit, ut orator aliquid omittat; huc igitur omnia pertinent verba prohibendi, dubitandi similiaqne negatione praedita.

a) Ac primum quidem de illis quin-enuntiationibus loquar, quae pendent ex praegresso prohibendi[70]) verbo. Uberrime ac sagacissime hanc structuram Haasius tractat[71]) quo duce Kruegerus[72]) haec docet: »Hier wird aber nicht wie durch ne, durch quin eine negative Absicht ausgedrückt (dass etwas nicht geschehen solle,) sondern nur gesagt, das Hinderniss sei nicht der Art, dass nicht dennoch geschehe, was gehindert werden sollte. Es liegt also eigentlich nur die Bezeichnung eines negativen Erfolges darin.« Ergo velut Amph. 1051:

Neque me Juppiter neque di omnes id prohibebunt, si volent,
Quin sic faciam uti constitui.

hunc praebeat sensum: impeditio ad irritum cadet, frustra erit; atque hic locus sic dissolvendus sit:

Adversarius: Du wirst nicht so handeln, wie du es beschlossen, daran werden dich die Götter hindern.

Orator autem: Freilich werde ich so handeln, nicht werden die Götter etc.

En exempla:

---

[70]) Verbum impediendi cum quin coniunctum apud Plautum nusquam invenitur.

[71]) Reisig. Vorls. ed. Haasius adnot. 492 p. 579.

[72]) Gramm d. lat. Spr. § 575.

Digitized by Google

Merc. 1020: Neu quisquam posthac prohibeto adulescentem filium
Quin amet et scortum ducat.
Curc. 33: Nemo hinc prohibet nec votat
Quin quod palamst venale, si argentumst, emas.

b) Quo pertinent multae et aliae locutiones quae omnes vim habent prohibendi, velut non deterrere, vix reprimere quin similesque.

Amph. 559: Tamen quin loquar haec uti facta sunt hic,
Numquam ullo modo me potes deterrere.
Mil. 332: Me homo nemo deterrebit, quin ea sit in his aedibus.[73])
369: Numquam hercle deterrebor,
Quin viderim id quod viderim.
Mil. 1368: Vix reprimor, quin te manere iubeam.
Most. 203: Vix comprimor quin involem illi in oculos stimulatrici.
Cas. 348: Vix reprimo labia,
Ob istanc rem quin te deosculer.
Cas. 136: Vix teneor, miser, quin, quae decent te, dicam.
Trin. 641: Retineri nequeo quin dicam.
Curc. 227: Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet se.
Men. 253: Verum tamen nequeo contineri quin loquar.
1124: Contineri quin complectar non queo.
Rud. 1172: eadem leguntur.
Trin. 640: Nec tuis depellar dictis quin rumori serviam.
Amph. 399: Certe edepol tu me alienabis numquam quin noster siem.
Men. 518: Numquam edepol quisquam me exorabit, quin tuae
Uxori rem omnem iam, ut sit gesta, ego eloquar.[74])

---

[73]) Libri exhibent »detereuti« quod Camerarius mutavit in »deterruerit« sensui idoneum; sed literis magis idoneum Hauptius restituit »deterrebit.« Quae coniectura probabilior videtur, praesertim cum literae b et v saepe in libris confundantur. Vide ad h. l. Hauptium, ind. lectt. Beroll. aest. 1866 p, 9.

[74]) Codd.: uxori rem omnem iam ut sit gesta, eloquar, quod metri causa ferri non potest. Atque Brixius numeros restituit, cum pro» ut sit« scribit »ut siet.« Ritschelius autem inseruit »ego« ante eloquar, quam coniecturam praefero. Nam ex usu Plautino, qui in crisi praecipue examinandus est, statuere possumus, Plautum amavisse illud »ego« sub finem versus scribere; vide, quaeso, Most. 742: ego eloquar; — 905 ego me scio, — 748:

Digitized by Google

Bacch. 915: Si est, abstinere quin attingas non queas.

Pers. 11: Set quasi lippo oculo me erus meus manum abstinere hau quit tamen,
Quin mi imperet, quin me suis negotiis praefulciat.

c) Huc quoque pertinent ea exempla, ubi verbum morari significationem praebens: Einen verweilen machen i. e. behindern, hindern coniungitur cum particula quin:

Men. 1146: Numquid me morare, quin ego liber, ut iusti, siem?
Bacch. 340: Numquam te morabitur,
Quin habeas illut, quo die illuc veneris.
Asin. 355: Argentum non morabor quin feras.
675: Numquam morarem quin darem.
Aul. 604: Ne adfinem morer,
Quin, ubi arcessat, meam extemplo filiam ducat domum.
Rud. 228: Neque, si vivit, eam viva umquam quin vivam inveniam, desistam.[75])

d) Eodem spectant locutiones, quales sunt: Numquid causae est? quid causae est quin, similesque; atque in eis quoque inest vis quaedam prohibendi. Quae locutiones nihil aliud fere atque »quid impedit« significant. Atque eiusmodi enuntiationes facile ex *παρατάξει* ortae explicari possunt; velut Cas. 832:

Nulla causast, quin pendentem me, uxor, virgis verberes.

sic explicandum est: Es ist kein hindernder Grund vorhanden; warum schlägst du mich nicht? — Cum utrumque talis iuncturae membrum seorsim poni atque intellegi possit, nullo a principio nexu inter se illa cohaesisse persuasum habeo.

En exempla:

Rud. 1397: Gratiam habeo et de talento nulla causast, quin feras.
1070: Ni istum cepi, nulla causast, quin me condones cruci.
758: Quid causaest, quin virgis te usque ad saturitatem sauciem?
Trin. 1188: Numquid causaest quin uxorem cras domum ducam?

---

ego te rogo. — 562: ego sum miser. — 528: ego invoco. — Stich. 294: ego nunc scio. — Pers. 716 eadem leguntur. — Men. 1088: ego alterum. — 930: ego debeo. — Merc. 256: ego conspicor — 887: ego audiam. — 497: ego fecero etc.

[75]) Sic duce Reizio Fleckeisenus legi vult. Codd. exhibent »eam vivam umquam« quod Reizius mutat in »eam viva«, cum deinde ante verbum inveniam »vivam« inserat.

Digitized by Google

Pseud. 533: Sed si non faxis, numquid causaest, ilico
Quin te in pistrinum condam?[76])
Capt. 353: Numquae causast, quin, si ille huc non redeat, viginti minas
Mihi des pro illo?
Aul. 259: Sed nuptias
Hodie quin faciamus, numqua est causa.
Amph. 852: Numquid causam dicis, quin te hoc multem matrimonio?
Most. 433: Verum si posthac me pedem latum modo
Scies inposisse in undam, hau causast, ilico
Quod nunc voluisti facere quin facias mihi.
Capt. 625: Hoc si secus reperies, nullam causam dico quin mihi
Et parentum et libertatis aput te deliquio siet.
Aul. 748: Haud causificor, quin eam
Ego habeam potissumum.[77])

e) Huc etiam pertinent locutiones (facere)[78]) non possum, fieri non potest, in quibus cum quin particula coniunctis vis inest impediendi. In verbis non posse Kruegerus[79]) recte docet inesse caput, nam sunt plura exempla, in quibus verbum »facere« vel »fieri« prorsus deest; velut

Trin. 705: Non enim possum quin exclamem.[80])

Eiusmodi autem structura sic explicanda est:

adversarius: Du kannst es über dich gewinnen etc.

orator autem: Ich kann nicht anders; wie sollte ich nicht etc.

Adversarius quidem putat fieri ea posse, quibus negatis orator opponit verba quae continentur sententia primaria. Negatio autem, quae inest in particula quin ad illam in sententia primaria extantem spectat; atque duplici illa negatione corroboratur

---

[76]) Ante verba »non faxis« Ritschelius inseruit »id,« quod supervacaneum esse Kiesslingius demonstrat in Mus. Rhen. XXIII. p. 422.

[77]) De origine atque usu illarum structurarum Lorenzius luculentissime in proleg. ad Pseud p. 9 adnot. 9 extr. sic disserit: »Es gab aber auch noch eine andere Form gegenseitiger Uebereinkunft, die Plautus öfter im Ernst, wie im Scherz anwendet: Die Frage an den Widerpart, ob er irgend einen Einwand gegen den zu stellenden Vorschlag erhebe.

[78]) Integra locutio facere non possum, quin apud Plautum nusquam invenitur.

[79]) Gramm. d. lat. Spr. § 575 adnot. 3.

[80]) Minus recte loquitur Zumptius, cum dicat Gramm. ed. XIII. § 539: »Für facere non possum findet sich zuweilen, z. B. Trin. III. 2. 79 non possum quin mit Auslassung von facere«

Digitized by Google

sensus certus: aliquid fieri debet.« Illud »posse« non tantam vim habet, ut, ne »exclamare« fiat, prohibere possit.

En huius idiomatis exempla:

Trin. 729: Nullo modo
Pote fieri prosus quin dos detur virgini.[81])

Men. 190: Interim nequis, quin eius aliquid indutus sies.

Mil. 1342: Nequeo quin fleam.

Pers. 824: Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum, olim quem Hegea Faciebat.

Stich. 302: Non enim possum quin revortar, quin loquar, quin edissertem,
Eramque ex maerore eximam, bene facta maiorum meum
Exaugeam atque illam augeam insperato opportuno bono.

Pers. 612: Hau possum, quin huic operam dem hospiti.

Truc. II., 7. 3: Satin qui amat, nequit quin nihili sit atque inprobis artibus se expoliat.

Mil. 262: Nam ille non potuit quin sermone suo aliquem familiarium
Participaverit de amica erili[82]) se vidisse eam.

Mil. 693: Tum plicatricem clementer non potest quin munerem[83])

---

[81]) Cod. B. praebet »prosus« quod Ritschelius servat. Neque est dubitandum, quin Plautina aetas pro »prorsus« extrita litera r prosus probarit. Hinc igitur est, quod Pers. 477 in nonnullis codd. »prosum« invenitur; item »rusum« legitur pro rursum Merc. 68; cf. Ritschelium, proleg. in Trin. p. 104.

Codicum »potest fieri« Bothius eumque secutus Ritschelius mutant in »pote fieri.« Quae forma »pote« (vel potis) apud Plautum usurpatur non tantum pro potest (Most. 256) sed etiam pro potes (Trin. 352, Pers- 30) atque pro posse (Men 625, Merc. 349.) Ideo Ritschelius praetulit formam pote, praesertim cum »asperior proceleusmaticus ab initio v. 730: potest fieri« tollatur; cf. proleg. in Trin. p. 111 extr. 289.

[82]) Libri praebent »eri sese vidisse eam«, quod Ritschelius probavit praef. Stich. p. 17. Sed recte Kochius hanc lectionem reiecit, Fl. annal. 1870 p. 61. Nam semper Plautus loquitur de amica erili, non de amica eri. Propterea «erili« scribendum est; cf. v. 114, 122, 274. Deinde »se« per imprudentiam facile duplicari potuit. Ergo hic locus sic restitui debet: »amica erili, se vidisse eam«

[83]) Codd. BCD exhibent »tum patricam« quod nullum praebet sensum. Atque Ritschelius cum Taubmanno coll. Festi 243 legi vult piatricem. Festus enim l. a. hanc vocem sic enarrat: »piatrix dicebatur sacerdos, quae expiare erat solita, quam quidam simulatricem, alii sagam, alii expiatricem vocant.« Sed si hanc vocem adhibemus, quae ad idem

Digitized by Google

Mil. 603: Neque potest quin, si inimicis usuist, obsit tibi.

Bacch. 559: Video non potesse quin tibi eius nomen eloquar.

f) Praeterea quattuor exempla apud Plautum inveniuntur, in quibus »posse« deest. Dico velut exemplum: Mil 283:

Non enim faciam quin scias.

Est idioma sermonis familiaris, cuius significatio apparet ex Amph. 887, quo loco illud facere coniungitur cum verbo »perpeti.« Significat autem: Ich kann es nicht über mich gewinnen, ich kann nicht umhin, ich kann nicht dahin gebracht werden. Ergo locus ille ex Milite allatus sic est explicandus: Ich kann fürwahr nicht umhin, (es dir zu sagen) wie solltest du es nicht erfahren?

Mil. 473: Sed numquam quisquam faciet quin soror
Ista sit germana huius.

i. e. Aber Niemand wird mich dahin bringen (zu glauben, dass sie nicht sei), wie sollte sie nicht etc.

Amph. 398: Tu me vivos hodie numquam facies quin sim Sosia.

i. e. Du sollst es heute nicht dahin bringen, (dass ich nicht Sosia bin) wie sollte ich nicht Sosia sein?

Stich. 754: Numquam enim fiet hodie quin saltet tamen.

i. e. Nie fürwahr wird sie dahin gebracht werden (dass sie nicht tanzt), wie sollte sie nicht dennoch tanzen?

Ergo omnia exempla facile ex *παρατάξει* ortae explicari possunt. Quamquam concedendum est, hanc esse singularem structuram; sed in sermone familiari comicorum multas locutiones postea inusitatas inveniri nemo ignorat. — Quomodo eiusmodi structurae ortae sint, de ea quaestione satis probabiliter Lorenzius disserit ad Mil. 473. Is enim statuit, ex structura illa admodum frequenti: faciam (te) ut scias, dicas etc. natum esse »numquam te faciam ut« vel negative »quin.«

---

fere genus feminarum in antecedente versu allatarum pertineat, nihil novi profertur, quod propter particulam »tum« sine dubio exspectatur. Quam ob causam ego cum Studemundio facio. Is enim in codice A invenit: tum plica, quod recte in »tum plicatricem« (Kleiderfalterin) mutavit (Herm. I p. 289 sq.)

Quae coniectura plus habet probabilitatis quam Ritschelii. Huc accedit, quod Tertullianus (de pallio 5) apud Romanos vestiplicos et vestiplicas fuisse commemorat. Conferri quoque potest Trin 252, quo loco »vestiplica« vocabulum invenitur.

Digitized by Google

g) Nunc devenimus ad usum illustrandum, e qno particula quinsequit ur locutiones »non est dubium, quid dubitas?« similesque.

Quam structuram copiose tractat Haasius[84]) qui particulam quin in eiusmodi structuris elliptice cum praegressis coniungi suspicatur. Propterea verba: »non dubito quin verum sit« hunc in modum explicat: »ich zweifle nicht, so dass es nicht nach meiner Meinung wahr sein sollte«; atque similiter Reisigius[85]); »Ich zweifle nicht, indem es nicht wahr sei; ich zweifle nicht, als wenn ich glaubte, es sei nicht wahr; also: ich glaube, es ist wahr.«

Sed multo simplicius ac rectius eiusmodi structuras putarim explicari ex *παρατάξει* ortas. Ego quidem exemplum illud allatum:

Non dubito, quin verum sit

sic dissolvam: darüber bin ich nicht im Zweifel; wie sollte es nicht wahr sein?

Aul. 162: Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?

Poen. 181: Quid tu dubitas, quin extempulo
Dupli tibi, auri et hominis, fur leno siet?

Poen. 871: Quid ergo dubitas, quin libenter tuo ero meus quod possiet
Facere, faciat male, eius merito?

h) Porro huc referenda sunt nonnulla alia exempla, in quibus particula quin pendet ex aliis atque supra dictis verbis. Sed etiam hae enuntiationes eodem modo *παρατακτικῶς* se habent.

Men. 1100: Promeruisti, ut ne quid ores, quod velis, quin impetres.

Capt. 525: Neque de hac re negotiumst
Quin male occidam oppetamque pestem eri vicem malam.

Asin. 421: Quoi numquam rem me unam licet semel praecipere furi,
Quin centiens eadem inperem atque ogganniam.

305: Nec dependes nec propendes, quin malus nequamque sis.

25: Non audeam
Profecto percontanti quin promam omnia.

Amph. 1105: Si istaec vera sunt, divinitus
Non metuo meae quin uxori latae suppetiae sient.

1054: Neque ullast confidentia in meo corde quin amiserim.

---

[84]) Reisig. Vorls. ed. Haasius adnot. 492 p. 583.

[85]) Reisig. Vorls. ed. Haasius § 321 p. 573.

Digitized by Google

Trin. 341: Non eo haec dico, quin quae tu vis, ego velim et faciam lubens.
586: Nullo modo
Aequom videtur quin quod peccarim . . .
I modo.
Potissumum mihi id obsit.
105: Quin dicant, non est; merito ut ne dicant, id est.
Stich. 187: Non amittam quin eas.
Curc. 164: Haud recusem quin mihi male sit.
Bacch. 209: Non tantulum
Umquam intermittit tempus quin eum nominet.
Stich. 756: Numquam edepol med istoc vinces, quin ego ibidem pruriam.
Cas. 98: Nihil habere addecet
Clam virum et quae habet, partum ei haut commode est,
Quin viro aut subtrahat, aut stupro invenerit.
Truc. I. 2. 39. An tu te Veneris publicum aut Amoris alia lege
Habere posse postulas, quin otiosus fias?[86])
Pseud. 853: An tu coquitatum te ire quoquam postulas,
Quin ibi constrictis ungulis cenam coquas?
Aul. 111: Nam non est verisimile, hominem pauperem
Pauxillum parvi facere, quin nummum petat.
Cist. I. 1. 118: Numquid me vis, mater, intro quin eam?
Amph. 970: Numquid vis, quin abeam iam intro?
Amph. 157: Nec causam liceat dicere mihi neque in ero quicquam auxili
Siet nec quisquam sit, quin me omnes esse dignum deputent.
Cas. 400: Tribus non conduci possum libertatibus
Quin ego illis hodie comparem magnum malum
Quinque hanc omnem rem meae erae iam faciam palam.

i) Denique mentionem iniciam locutionis »mirum quin« quae sola abhorrere videtur ab eo praecepto ut sententia primaria semper negativa sit. Sed non abhorret ab illa norma, nam est ironiae inserviens formula, quae praebet sententiam prorsus negativam. Optime ea de quaestione disseruit Lorenzius[87]), qui haec statuit: »mirum

[86]) Codd. ceteri »bene rem publicam« praebent pro »Veneris publicum« quod Studemundius ex cod. A restituit.

[87]) cf. Lorenzium ad Most. 478.

Digitized by Google

quin: eine nur den Komikern angehörende, stets ironische Formel, die einen negativen Gedanken durch spottende Hervorhebung der Unmöglichkeit des Entgegengesetzten ausdrückt: ein Wunder, warum nicht —, das fehlte nur, dass — warum nicht gar.« Quae structura sine dubio ex *παρατάξει* orta explicanda est; vide Pers. 433: Mirum quin tibi ego crederem — quem locum sic dissolvam: Wunderbar, wie sollte ich Dir nicht trauen? En huius idiomatis cetera exempla:

Pers. 339: Mirum quin regis Philippi causa aut Attali
Te potius vendam quam mea, quae sis mea.
Merc. 204: Mirum quin me subigitaret.
Trin. 495: Mirum quin tu illo tecum divitias feras.
967: Mirum quin ab avo eius aut proavo acciperem, qui sunt mortui.
Amph. 750: Mirum quin te advorsus dicat.
Most. 493: Mirum quin vigilanti diceret,
Qui abhinc sexaginta annis occisus foret.
Rud. 1393: Mirum quin tuum ius meo periclo abs te expetam.
Cist IV. 2. 68: Mirum quin grex venalium in cistella infuerit una.
Aul. 85: Mirum quin tua me causa faciat Juppiter
Philippum regem aut Darium.

Itaque in omnibus particulae quin idiomatis secundum eius compositionem significatio principalis Wie nicht? Warum nicht? statuenda est atque perbene ex hac particula demonstrari potest, quemadmodum *ὑπόταξις* ex *παρατάξει* nata sit. Antiquissima enim idiomata sine dubio ea sunt, in quibus particula quin adverbii partes agit, nam in iis maxime perspicue significatio apparet principalis. Enuntiatio autem particula quin addita admodum affirmativa fit, ut haud raro particulam vertere soleamus: Sicher fürwahr, sogar. Quae significatio mea quidem sententia ab quin illo in interrogationibus acriter cohortantibus usurpato repetenda est; velut: Quin abeo? explicandum est: Gehe ich? Ja warum nicht? Ergo orator, qui paulisper haesitat, ilico particula quin animum suum confirmat. Quod multo magis fit in sententia per se affirmativa. Nam velut: Quin abeo, significat, eum, qui loquitur, abire constituisse; atque id consilium particula quin addita multo magis firmatur: Sicher gehe ich fort. Deinde ea quin-enuntiata in *ὑπόταξιν* transeunt, quo fit, ut vera particulae significatio mutetur; velut

Nil tam difficile est, quin quaerendo investigari possiet.

Quam structuram vertere solemus: Nichts ist so schwierig, dass man es durch Forschen nicht ergründen könnte; i. e. Sicher kann man es. Itaque hanc quoque

Digitized by Google

significationem ab gravi particulae quin affirmatione repetere debemus; exemplum enim illud sic explicandum est: Orator sententia adversarii (tam difficile) negatione »nil« refutata cum gravi affirmatione affert, quae ipse de ea re sentit.

Ergo utut particulam quin vertimus, significatio principalis Wie nicht? Cur non? statuenda est atque tenenda.

Digitized by Google

Argumentum.

Prooemium ..... p. 3
De mera παρατάξει ..... 4 — 6
De particulis nisi, ne, ut. ..... 6 — 10
De particula quin ..... 10 — 39
De eius compositione et significatione ..... 10 — 11
Quin-enuntiata gradatim ex παρατάξει transeunt in ὑπόταξιν ..... 11 — 12
Quin adverbium ..... 12 — 26
Quin in adhortantibus interrogationibus extans .... 12 — 16
Quin cum imperativo coniunctum ..... 16 — 18
Quin cum praes. coni. I. pers. usurpatum 18
Quin cum ind. praes. I. pers. coniunctum in enuntiatis interrogantibus positum ..... 18 — 19
Quin in enuntiatis affirmativis usurpatum ..... 19 — 24
Quin ergo, ergo quin 24
Adverbio quin additur »inquam« ..... 24 — 25
Quin potius, quin etiam, quin edepol, quin equidem, quin edepol etiam ..... 25 — 26
Quin a sententia primaria aptum in ὑπόταξιν transiturum est ..... 26 — 30
De earum quin - enuntiationum forma ..... 26 — 27
Quin sequitur particulam »tam« cum adiect. coniunct. 27 — 28
Nullus est quin, nihil est quin similesque structurae 28 — 29
Non sino, non patior, non duro quin ..... 29 — 30
Quin in ὑπόταξιν transit ..... 30 — 39
Non prohibeo, non deterreor, vix reprimor, non moror quin similesque locutiones ..... 30 — 32
Quid causae est, nulla causa est quin ..... 32 — 33
(Facere) non possum, fieri non potest, non facio, quid dubitas, non metuo quin similiaque.. 33 — 37
Mirum quin ..... 37 — 39

Digitized by Google

Sententiae controversae.

I.

Aesch. Pers. v. 71 pro ὄδισμα cum scholiasta legendum est ἔρεισμα.

II.

Lys. orat. XII. § 22 καὶ λέγουσιν non est delendum.

III.

Aesch. Pers. v. 162 optime prorsus deest.

IV.

Hor. carm. I. 28 v. 19 et 20 retinendi sunt.

V.

Haud merito dicitur, populum Romanum sub imperatoribus multum degenerasse a pristina virtute.

Digitized by Google

Vita.

Natus sum Hermannus Schnoor die XXII mensis Augusti a. h. s. LIII. Slesvigae patre Hermanno, matre Margaretha e gente Joehnk, quibus adhuc superstitibus valde aetor. Fidei addictus sum evangelicae. Anno MDCCCLXV gymnasium adii Slesvicense, quo praecipue viri illustrissimi Gidionsenus atque Mommsenus me ad studia antiquitatis colenda tractandaque incitaverunt, ita ut totum me eis dedere constituerem. Auctumno a. h. s. LXXIII Gottingam me contuli, ubi, cum medici, ut magnam curam in valetudine tuenda adhiberem, mihi imperassent, solum V. D. Sauppium disserentem audire potui. Vere autem sequentis anni academia Georgia Augusta relicta Kiliam migravi, ubi scholas audivi virorum doctissimorum Forchhammeri, Luebberti, Volquardsenii, Schirrenii, Thaulowii, Pfleidereri, Rohdii, Weinholdi, Pischeli, Pfeifferi, Hassii, quibus omnibus hac occasione data gratias ago quam maximas. In primis autem rectores seminariorum historici et philologici, cuius per tria semestria sodalis ordinarius fui, Luebbertum, Forchhammerum, Schirrenium, Volquardsenium sempiterna recordatione pio gratoque animo colam.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Photomount
Pamphlet
Binder
Gaylord Bros., Inc.
Makers
Stockton, Calif.
PAT. JAN. 21, 1908

U.C. BERKELEY LIBR
C003092205

829023

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google